

*corde condemnari; quatenus videlicet, qui male sibi conscius est, proprio animi sensu reus agitur, & iudicio divino obnoxium se agnoscit. Quemadmodum enim illatæ per discursum conclusiones practicæ fugere jubent scelera jure superioritatis, quod Deo convenit, sic & transgressores accusant, & reos peragunt iræ Dei sive pœnarum a Deo infligendarum. Atque hæc fiunt etiam in illis, qui in terris superiorem non agnoscunt, intus tamen, & apud animum suum sunt convicti, quod Deum, ob violatam ejus legem immutabilem, habeant iratum, & cum jam calamitatum tela positi sint, sero tamen & vel post hanc vitam experturi sint scelerum vindicem severissimum.*

§. XI. Porro sicut status damnatorum præter cognitionem intellectus importat etiam ex parte *Voluntatis* ipsorum fugam quandam aut averfationem Dei, tanquam sibi infensi & implacabilis, odium quoque sui ipsorum, & hinc nascentes angores & mœrores gravissimos: sic præ gustus damnationis in hac vita importat in voluntate hominis fugam quandam Dei irati, aut horrorem quandam, quem consideratio & quasi aspectus Dei irati animo hominis incutis; nec minus indignationem adversus seipsum, aut quasi luctam quandam cum semetipso, certe anxietatem animi, tristitiam ac dolorem singularem.

§. XII. Huc respiciunt verba Davidis, quibus miseriam suam, e qua jam tunc quidem fuerat eluctatus, describit *Psalms. XXXII. 4. die ac nocte gravis fuit manus tua super me.* aut ut *Ripetus* interpretatur: *Manus tua, quæ piis est medica, sublevat ad se venientes, opprimi fugientes, quibus plumbea est sua gravitate, ferrea sua duritie.* &c. *B. Geierus: Castigatio tua instar oneris plumbei me deprimebat quotidie magis ad inferni abyssum.* Atque his respondent verba *Psalms. XXXVIII. 3. Sagittæ tuæ (Deus) descenderunt in me, & descendit super me manus tua:* ubi *David Deum quasi venatorem facit, qui ipsum velut feram persequatur & configat;* uti *J. Tarnovius* annotat, & verba ipsa sic exponit: *Nam sagittæ tuæ, b. e. omnes plagæ abs te immissæ, imprimis autem pavores & vulnera conscientie ac terrores judicii tui severi, qui non secus ac sagittæ*

K

gittæ